quia dato quod iste mundi cursus non cesset quousque redeat stelle ad
primam dispositionem tamen non oportet quod remaneant futuri tot anni quia
in fine mundi celum forte multum velocius movebitur quam nunc ita
forte quod infra horologium unius diei faciet totum celum omnes circu-
lationes quas facit modo uno anno vel pluribus ut dicere videtur Be-
atus petrus in canonica sua dicens Veniet dies domini sicut fur
in quo celi magno impetu transirent Aliqui etiam forsan
aliquibus argumentationibus innixi dicunt non esse reprobabile diffinire
cum assertione tempus adventus antichristi dicunt enim quod daniel
intellexisse videtur de fine mundi et tempore antichristi viii° capitulo quia
post visionem de ariete et hirco dixit angelus alteri Gabriel
fac intelligere visionem et infra dixit angelus danieli Intel-
lige fili hominis quoniam in tempore finis complebitur visio [illegible]i autem ei reve-
latum est de fine mundi constat quod deus vult hoc manifestare
filiis ecclesie quia generaliter prophecie est ad utilitatem ecclesie Unde dominus
act. 1° discipulis petentibus de consumacione seculi remittit
eos ad danielem ergo sciri potest tempus finis mundi et adventus
antichristi Item licet nesciatur determinate hora mortis hominis tamen per na-
turam et scripturam potest determinari tempus ultra quod non vivet
homo post dies annorum in ipsis lxx anni Si autem in potentatibus lxxx
anni etc. ergo a simili licet nesciatur dies vel annus consumacio-
nis mundi determinate tamen potest haberi terminus ultra quem non du-
rabit mundus Item licet sermones de antichristo sint clausi usque
ad prefinitum tempus tamen hoc non intelligitur de omnibus
hominibus sed de hominibus cuiuslibet status doctores enim vel
spirituales homines per revelacionem vel per profundiorem scrip-
turarum intelligentiam hoc sciebant vel scire poterunt unde subiun-
gitur ibidem docti intelligent etc. Item actuum primo post
illa verba non est vestrum nosse tempora etc. statim subiungitur Sed
accipietis virtutem spiritus sancti in vos Ergo dicitur non est vestrum quia a
vobis non est tamen a spiritu sancto superveniente predicta scietis et
prophetabitis de predictis Unde glosa non ait non erit sed non
est notans adhuc eos esse infirmos et ideo ad secretum sci-
endum non esse ydoneos Item licet non possimus attingere ad
cognicionem illius quo ad diem vel horam tamen salvator non ne-
gat quin possimus scire quo ad annum vel annorum centena-
rium vel millenarium ergo saltem sine reprehensione potest dici
quod tali anno vel centenario annorum vel millenario ve-
niet antichristus licet incertum sit de die hora vel momento

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_924/0478

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG